

accommodatus, ultro continuari non potest, eo quidem magis, quod et altissimo Servitio Nostro et Bono publico plurimum intersit, ut Supremis Comitibus, qui Suprema Regia potestate constituantur, quorumve Salaria ex Aerario Nostro dependuntur, sua legalis attribuatur authoritas, quarum praecipua una est, ut ipsi ad praescriptum Articuli 56. Anni 1723 Magistratus, quibus praesunt, restaurent, sive Officiales Comitatuum debito legali modo eis subordinentur. Ad haec Communis et Uniformis omnium non tantum Regni Nostri Hungariae, ast etiam Inferioris Sclavoniae Comitatuum mos est, Magistratus ad sensum citati Articuli restaurandi. Nec idecirco Banalis et Regni Jurisdictionis quodpiam praejudicium subversatur, partim quia non obstante isthoc restorationis legalis modo Comitatus hi Jurisdictioni praedeclaratae, modalitate ab infra declaranda, adhuc tamen suberunt, partim vero quia veluti ex modo restorationis Inferioris Sclavoniae Comitatuum (cujus elaborationi ipsi etiam Regni hujus Deputati intervenerunt, consensuque suo accesserunt), praeterea Comitatus Varasdinensis (de quo paulo infra agetur) praejudicium illud hactenus assumi non potuit, ita nec assumi potest a simili et uniformi in recensitis quoque Binis Comitatibus inducendo modo.

Horum igitur intuitu normam Restorationis Comitatuum hic quoque illam benigne statuimus, quam Lex praescribit, et quae in aliis etiam Comitatibus passim exercetur, nempe: ut in puaefigenda eatenus sede Restauratoria Supremi Comites candidatos pro Officiis suo modo proponant, electioni Comitatus liberae submittant, votorumque pluralitate electos Officiis admoveant, ac ut hac etiam in parte Bani et Regni Jurisdictioni deferatur, eosdem Officiales, modo praevio legitime electos, Bano et successive in Regni Congregatione (cum ibidem suas destinatas sessiones habeant) Statibus et Ordinibus praesentent.

Norma haec restaurandi ut ad Comitatum etiam Varasdinensem extendatur, rectus quidem Ordo ratioque Uniformitatis omnino exigeret; quippe cum familia Comitum Erdödy haereditario Jure supremum hujus Comitatus Officium obtinent, ex vendicato sibi Jure usum restorationis illum, quod citra omnem Candidationem electionemque officiales constitutat, in praesens exercuerit, et fidelis noster nobis sincere dilectus Comes Georgius Erdödy, Judex Curiae Nostrae Regiae, qui de praesenti eidem Supremo Officio praeest, medio supplicis sui Privilegium Rudolfi 2. Imperatoris et Regis, praedecessoris Nostri desideratissimi, Anno 1607. Comiti condam Thomae Erdödy elargitum, et in hanc rem, velut supponit, sonans nobis in Copia humillime exhiberi fecerit; illud vero de isthoc, quem antelata Familia usurpat Restorationis modo prorsus nihil contineat, et praeterea Articulus 70. 1548 restorationis modum jam olim ante emanationem allegati Privillegii praescripsit. Quia tamen articulus allegatus 56. Anni 1723 negotium isthoc in statu quo, donec ordinaria juris via determinatum fuerit, relinquendum decernat: Quaestionem igitur hanc juxta dispositionem ejusdem Articuli in via Juris discussiendam pro hic et nunc relinquimus quidem; ast quia hanc juris viam hactenus nemo inivit, intersit vero ut aliquando assumatur et suo modo etiam decidatur, ideo clementer volumus, ut Fidelitates Vestrae sensum suum super eo: quo actore quoque Judice quaestio eadem in Juris viam deducenda inibique prosequenda sit, nobis ocios submittant.

Quantum ad Administrationem, perceptionem et Erogationem pecuniarum, tam Contributionalium quam et aliarum, pro intrinsecis necessitatibus requisitarum, impositarum, pro hic et nunc usque ulteriore clementissimam Majestatis Nostrae